




**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

1. Ministeria Angelorum erga Deum & Angelos alios statuuntur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

exercenda, & exequenda posse absolute committi, quemlibet exequi posse, & debere, ex prima oblatione constat, & quidem de ministeriis, & officiis propriis Angelorum beatorum, tam erga Deum ipsum, quam erga creaturas alias rationales, siue Angelos, siue homines, ex Dei posita voluntate, cuique suum officium, & ministerium contigisse citra dubium est, de Dæmonum vero propriis ministeriis, & officiis, cum erga Dæmones alios, tum erga homines an ex Dei posita an permissiva solum voluntate mediate, vel immediate suum unicuique prouenerit? sub indice adhuc lis est. Quoniam vero Angelorum beatorum ministeria ad valde diuersa iis, quæ Dæmonibus exercenda ex suis ministeriis propriis sunt, obeunda, fuerunt à Deo instituta, & unicuique designata, ut ex dicendis patebit, seorsim, & primo de Angelorum ministeriis, & officiis, secundo de officiis, & ministeriis dæmonum agemus.



QVÆSTIO I.

De Angelorum beatorum ministeriis erga Deum & Angelos alios.

IXIMVS nuper Angelos beatos, cum erga Deum, tum erga Angelos alios, tum erga homines propria, & specialiter à Deo ipsis data, ac designata ministeria, & officia ad munia aliqua obeunda habere, Pro quibus cuique assignandis memoranda sunt, quæ diximus de hierarchiis, choriisque Angelorum, disputat. 2. quæstione 5.

CERTAMEN I.

Ministeria Angelorum erga Deum, & Angelos alios statuuntur.

1. Officia quæ erga Deum beati & Angeli exercent, suntque aliquibus propria, nec omnibus communia ratione status beatitudinis, inuestiganda sunt: & enim Deum ardentissime super omnia amare (pro cuiusque naturali voluntatis, ac supernaturali facultate charitatis habitu ex parte potentis, & Dei clara visione ex parte obiecti, Dei scilicet, & amandi) tenentur: unde rursus obsequendi Deo, in omnibus ad nutum, ut in nullo, ne leuissimo quidem, ab eius sibi nota voluntate, siue omniſiue, siue communiſiue possint abſcedere, necessitas, etiam antecedens, beatis Angelis ex suo felicissimo statu fit. Sed vero hæc omnia ex ministerio, officioſiue proprio, & speciali aliquibus Angelis à Deo commisso, & designato, non esse, vel in constat: quia in eis exercendis, atque erga Deum obeundis, Angeli beati omnes communicent. Secundo, quia in eis omnibus obsequiis Deo præstandis, & beata nunc separata animæ iustorum, & corporibus suis demum per resurrectionem restitutæ, reſtitutisque ipsi iusti æternum cum Angelis communicabant. Ex status ergo beatitudinis felicitate summa communi, non autem ex speciali ministerij prerogatiua ea erga Deum obsequia Angeli exhibent beati, igitur ministeria, & obsequia actualia Angelorum erga Deum, ex officio, & ministerio habituali spectant. *Christoph. de Ortega, de Deo Uno, Tom. I. l.*

cialiter ipsis à Deo designato, & concessio, ex habita alia esse debent ab eis, quæ ex statu beatitudinis communi ab omnibus Deo exhibentur, & quæ Angelorum aliquibus non autem omnibus conueniant.

2. Ea vero sunt in Seraphinis ardentissimis erga Deum amor, ex quo in via specialiter & præ ceteris aliis Angelis exercito, & naturæ suæ ad eum concipiendum aptitudine expeditione, & promptitudine maiore primum chorum hierarchiæ primæ, & supremæ honorem, & nomenclaturam Seraphinorum fuisse sortiti, in Cherubinis plenitudine scientiæ, de Deo, siue profundior, penitior, atque ex creatis penitissima Dei contemplatio, ad quam chorumque Cherubicum hierarchiæ eiusdem secundum, eiusque nomenclaturam, ex naturæ etiam suæ maiori promptitudine, & expeditione ad Dei contemplationem, & speculationem perfectiorem, eiusque in via exercitio cum ex naturalibus tum ex reuelatione obtinuerunt. Tertium ministeriale, & ex officio obsequium Deo ab Angelis exhibendum est ab Angelis tertij, & postremi chori hierarchiæ primæ, & supremæ, à Thronis scilicet, qui pacatissimæ Dei sedes, solique sunt: quibus Deus specialiter inſidet suamque maiestatem ostentat. Quibus gradus honorem, nomenclaturamque obtinuerunt, cum ex naturæ promptitudine & propensione maiore effectiua, ut se Deo ad id ministerium summitterent; ut Deum pacatissime ipsis inſessurum reciperent, cuiusque maiestatem, & gloriam eiusmodi receptione creaturis cunctis ostentarent, omnem suam connaturalem, tum supernaturalem in utroque genere maximam, ei ministerio, & pedibus Dei, absque vlla mentali perturbatione commotione, aut designatione in via etiam dicantes, & consecrantes.

3. Hæc ergo promptitudine expeditione, & quasi propensione, & inclinatione istorum omnium Angelorum, cuiusque ad actus præfatos, atque eorum actuum præcellenti exercitio à Deo attentis ad præfatos hierarchiæ, choros ad eorum ætuum, & obsequiorum Deo, ex officio, & ministerio proprio exhibendorum exercitium perpetuum, aduocati, ac designati Angeli à Deo sunt ut constat ex dictis citat. disputatiōne 2. quæstione 5. certamen 1. à num. quæ ministeria, qui ad eum, quasi personaliter obsequiis suis, & immediate pertingunt Deo coniunctiores, & quasi Cameræ, & secreti familiares intimiores, eos Angelos constituunt. Porro in duarum hierarchiarum inferiorum Angelis nullum ministerij specialis obsequium Deo immediate, & quasi personaliter ex officio, & ministerio eorum alicui, vel aliquibus proprio, inuenio, quod non ex statu communi beatitudinis proueniat; nisi, quod eorum quiuus, dum ministerium proprium suo gradu, & ordine erga creaturas alias commissum, ac demandatum à Deo industriè solet, ac studioſe obit, Deo quidem obedit, gratumque subinde ipsi opus exequitur & offert; quod tamen cuius bene, & ex Dei lege, & voluntate operanti commune est, nec ex aliquo proprio, & speciali officio, & ministerio erga Deum exercendo proueniens. Nec illa Angelorum, ac Beatorum omnium in regali Dei speciali empyrei aula, speciale aliquod ministerium erga Deum, quasi personale, & Deum ipsum immediate, & specialiter pertingens importat, sed commune celestis illius aula, & Patriæ ciuium ad curiæ, & aula regis maiestatem ornatum, & gloriam, cui ministeria, & dignitates, & potestates diuersæ eis à Deo erga creaturas alias concessæ, non parum inferunt, dum tam multos, curiæ, & aula illius celestis incolæ illustiores reddunt, ut ex humanis licet facile colligere.

4. Illuminationem aliorum Angelorum ab alijs
m m
suo

sive à Deo mediate per Angelos alios, eorumque ministerium negavit Durandus, in 2. disputat. 1. r. quæstione 3. numero 10. asserens casualiter, siue active Angelos à solo Deo immediate illuminari, quin ab alio Angelo eius illuminatio aliqua natura, & causalitatis veræ physica, & realis prioritate procedat; tamen si censura gravis metu addat: vnum Angelum ab alio per consequentiam quandam illuminari, vt ita scholasticis reliquis aliquantulum, verbis saltem æquiuocis, morem gerat, nec adeo aperte testimoniis Patrum, præcipue Dionysij, communis hac in re magistri, aduersetur, est autem illuminationis huius vnus Angelus ab alio per consequentiam, Durandi sensus, & explicatio, seu probatio ab ipso adhibita ibidem: quia, cum Angeli in diuini luminis irradiatione continentur, quod vni sui luminis communicat, siue scientia sua ipse, ac seipso veritatis reuelat cæteris ab ipso ac seipso reuelari consequens est: & prius quidem ordine dignitatis Angelis dignioribus, & hierarchiæ, choriue superioris, quam aliis minus dignis, & inferioris chori, & hierarchiæ. Hac, inquam, ratione explicat Dionysij testimonium ex capite 14. de celesti hierarchia, quod solum sibi obicit Durandus, sed insufficiens, cum dicat Dionysius vnum Angelum acceptam intelligentiam, seu illuminationem, communicare inferiori; atque hunc à superiore erigi, & excitari, à quo quasi digito viam monstrante edocetur: quæ causalitatem superioris ad inferioris illuminationem, nec solum prioritatem illuminationis ordine dignitatis demonstrat, illa, etiam, quæ dixerat, capite 3. medio, ordinem hierarchiæ, seu gradus hierarchici postulare, vt alij purgent alij purgentur, quidam illustrent, alij perficiant, alij perficiantur, & capite 8. Angelos secundæ hierarchiæ purgari ab Angelis primæ. Ac libro de Ecclesiastica hierarchia, capite 5. titulo de sacerdotalibus perfectionibus, ait inferiora per superiora, tandem in Deum reduci, quæ & alia, num. 6. ex Dionysio recitanda absque actione aliqua superiorum Angelorum in inferiores fieri nequeunt aut intelligi. Adde illam continuationem illuminationis, veritatem & secretorum Dei Angelis omnibus falso, & absurde à Durando supponi; alias nulli reuelare aliquid posset Deus, quin omnibus; contra ius secreti, quod ne creatura rationali denegatur; & contra id, quod factum in misterio incarnationis vidimus, ita soli Gabriel reuelato, vt nihil ad ipsum, quous gradu, spectans alteri Angelo fuerit commissum.

5. Idcirco dico primo, contra Durandum; alios Angelos, ab aliis Angelis illuminari eisque mediis à Deo, ac proinde non omnes immediate ab ipso Deo illuminari dogma certum Theologicum, Ecclesiasticum, & pene fidei est, & quod absque ingenti temeritate negari nequeat. Primum patet, quia est omnium Theologorum nullo dempto conclusio. Secundum etiam, quia est totius Ecclesiæ, & si non definita sententia. Tertium, quia id se ab Apostolo Paulo Præceptore, seu imitatore, vt ipse ait, suo dedisse, testatur Dionysius, capite 6. de celesti hierarchia, cuius testimonio non potest absque ingenti valde temeritate fides, non deferri, sicuti & quod ea Paulus ex Dei reuelatione didicerit, vnde ingentis valde temeritatis notam Durandi sententia meretur. At dicit, Augustinum, capite 58. Enchiridij asserere nihil de hoc certum esse: est enim certum item opera Dionysij multo tempore fuisse suppressa, nec facile obuia, & quorum exemplaria, ad paucorum manus, etiam studiosorum, & doctiorum Patrum erant: vnde nec Gregorius Magnus, Augustino posterior, illa viderat; siquidem Dionysij sententiam de missione Angelorum, non ex eius lectione, sed ex aliorum relatione commemorat homil. 34. in Euangelia, quare Augustinum Dionysij opera, & sententiam hanc, quam,

ne quidem ex aliis memorat, non vidisse certum esse debet; & sic ibi, quia Dionysij hac in re toties repetitam, & constantem sententiam ab Apostolo acceptam non viderat, incertam existimat. Sed ratio, quæ Durandus scholasticorum omnium, & Dionysij auctoritatem, communemque Ecclesiæ sensum à Deo magna temeritate præterit leuissima est, non solum, vt à recentioribus perfunctorie lecta recitatur, vt facilius impugnetur, sed vt apud ipsum est, atque à nostro Valquez fideliter proponitur: disputatione 216, capite 1. numero 2. §. *Hac igitur doctrina*, quia Deus solus est causa proxima omnium, quæ pertinent ad statum beatitudinis, tam essentialis, quam accidentariæ, tam formalis, quam obiectiue, sed illuminatio Angelorum, tam formaliter quam obiectiue sumpta, pertinet ad statum beatitudinis (siquidem est reuelatio mysteriorum, quæ ad statum beatitudinis, saltem accidentariæ, Angelorum spectant, aut aliquando spectant: ergo illuminatio Angelorum omnium à solo Deo proxime, & immediate causatur, sed maior est falsa quæstio ad beatitudinem accidentalem ab eo sua defectibilem: vnde cumque enim, & à quocumque immediate scientia, & illuminatio obiectiue cuius cognitione Angelus illustratur atque accidentariæ gaudet, mediate vel immediate proveniat, atque illuminaretur gauderet, atque accidentariæ beatificaretur. Quod cum à Deo tandem, vt principali auctore, ac disponente providentia conaturaliori, vt per superiores causas, & ministros inferiorum commodis prouideret, nil improprietatis, imo vero multum aptissime proportionis habet, vt ex Dionysio dicemus vt, in hierarchia Ecclesiastica, vt per superiores immediate cooperantes inferiorum sanctificationi, & salutem (quæ maius quidquam accidentariæ illa beatitudo est) prouidit, sed permixta maiore, minor absolute falsa est, siquidem illuminationes, & reuelationes inferiorum, & secretorum Dei Angelis ab ipso factæ, (vt non omnes) plurimæ non ad accidentariam eorum beatitudinem, sed ministeria salutis hominum necessaria spectant: vt de eorum pluribus, & plerisque, quas ex scriptura nouimus, constat, quod autem insuper Durandus pro sua insinuat sententia de supernaturalitate necessaria obiecti illuminatione proponendi, & confortatione intellectus illuminandi (quæ vi & obiecti supernaturalis proposito, à solo Deo fieri immediate debeat) dissectum ex dictis est: Christusque ex dicendis cert. 2. de materia illuminationis, & modo, quo ea fieri immediate ab Angelis debeat relictur.

6. Dico secundo, Angelis superioris hierarchiæ, & gradus, seu chori intra earum quatuor hierarchiarum inferioris hierarchiæ, & gradus Angelos illuminant iuxta Dei voluntatem, & vt à Deo iubentur iuxta horum statum, & obeunda ministeria. Conclusio hæc æque est certa, ac præcedens: quia simul veraque à Dionysio, Patribus, & omnibus (durando excepto) scholasticis traditur, dixi autem, iuxta Dei voluntatem, & inferiorum statum, & ministeria obeunda: quia dubium non est, quod plurima superioris gradus, & chori hierarchici Angelis reuelare Deus possit, quæ ad speciem statum, conditionem beatitudinis Angelorum chori illius, & ministeria spectent, quæ nusquam ad statum conditionem, & ministeria Angelorum chori, & gradus, hierarchici inferioris pertineant: quare, rebus eis sint à superioribus Angelis communicanda. Probatum conclusio primo ex scriptura lauda. Probatum conclusio iam recitandis testibus, & aliis decursu disputationis recitandis. Secundo, ex Dionysij testimoniis pluribus. Primum ex cap. 1. de celesti hierarchia. ubi indultum sibi sacratissimum iubar assatim hauserint, superioris hierarchiæ, & chori Angeli, hoc ipso postmodum absque inuidia sequentibus fundant, arguunt

in hoc ipso diuini obtemperant legibus. Ac rursus ordinem hierarchiæ, seu hierarchicum postulare. Vt alij parentur alij parent: quidam luce non solum doctrina illustrantur, quidam illustrent, aliqui perfectantur, alij perfectant, quod non solum de ordine vniuersæ hierarchiæ ad aliam, sed de ordine chororum intra hierarchiam, quamlibet ordinarum intelligit, quia, & hic ordo hierarchiæ est, & capite quarto, sub med. clarius expressit dicens legem ministerio Angelorum datam, & per Moysen ad nos peruenisse: quasi illud ordo diuine legis sentiat: ea, quæ secundum locum obtinent, ab eis, quæ primum ad diuinitatem erigunt, & excitant; Et enim, non solum in summis, atque in summis montibus, sed in eis etiam, quæ sunt eiusdem ordinis, hoc lex à Deo sancta est: ut in quacunque hierarchia, & primi sint & medi, & postremi ordinis, inferiorumque superiores sint, eisque, quasi digito viam monstrant, adiungunt ostendunt ad diuinitatem, illustrationem, atque consociationem, & rursus. Statuit summus ille, ac supersubstantialis omnium ordo per singulas distinctiones primos, & medios, extremosque esse ordines, atque virtutes: ut scilicet inferiorum spirituum excellentiores, quique preceptores, ac duces sint: ac ibi, tanquam spiritus supra mundanum intelligunt modum rerumque rationes diuine illustrationibus sibi accommodatis dicunt, & rursus ad propinquiora, & cognita, quæ didicere, transmittunt. Item capite septimo, ait de Seraphinis, inferiora agmina ad sui similitudinem potentissime subeunt, lucida, illuminantque proprietate totius obsecratis expulsi, de Cherubinis, indultam sibi sapientiam, in sequentia, & inferiora transfundunt, cap. insuper 8. de secunda hierarchia ait, Purgatur, illuminatur, atque perfectitur modo quo diximus (capite scilicet tertio,) ex sacris diuina intelligentia fulgoribus in illam per primas, superiorisque distinctiones officium secundo loco manantibus. Est autem obiter aduertendum, cum Sancto Thoma, questione 106. articulo secundo ad primum & scholasticis reliquis purgationem, illuminationem, & perfectionem, eiusdem realiter actus nomina esse: quæ quatenus lucem conferunt illuminationi, quatenus tenebras nescientia, seu lucis negationem pellit, purgatio, quatenus veritatis cognitione intellectum perficit, eius perfectio dicitur. Atque ibidem iterum, quod legimus (Zachariæ) per Angelum in alium Angelum cuiusdam rei peruenisse notitiam euidentem indicium esse arbitramur perfectionis à longinquo uenientis ac pro ipsius ratione in secundum perfectionis locum derivantis, capite 10. docet inferiores (gradu hierarchico) superioribus subaudire, & hoc Thoma consilia exponere, eandem, ac totam de hac re doctrinam suam epitome tradit de Ecclesiast. Hierarch. capite 5. titulo de sacerdotalibus perfectionibus dicens. Inferiora per superiora tandem in Deum reduci per illuminationem, quam sacram efficientiam, & deificarum notionum transfusionem appellat. Denique membra humana metaphorice Angelis, applicans, & explicans, vltima de celesti Hierarchia, ait, Dentes, quod alimenta adhibita diuidit, vnaquaque enim essentia, quæ mente prædita est vnicam intelligentiam à diuinitate traditam accepit, ut quadam, quæ alius natura consilii, diuidit, amplificant, pro capite, & duntaxat inferioris.

7. Consonant Athanas. libro de communi essentia, scribens. Cherubin, & Seraphin, sine ullo mediatore, aut interprete à Deo consilium, & ab eis erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps ceteri pro suo gradu. Sophronius encomio de Angelis, ita Seraphinos allocutus. Splendorem, quantum sui est, absque ullo medio excipitis, exceptumque ceteris mentibus, & intelligentiis communem facitis. Damasc. lib. 2. cap. 3. illud quidem perspicuum est: eos, qui præstantiores sublimioresque sunt

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tom. II.

splendorem, & cognitionem inferioribus imperire Bernardus, 5. de considerat. cap. 4. Sic de Cherub. ait: ex ipso sapientia fonte ore altissimi haurientes, & resurgentes fluentia scientia vniuersis ciuitibus suis. Rursus homil. 1. super. missus est; Lucæ 1. præfatae suæ sententiæ innitens Gabrielem à Deo, missum dici censet quod non sit ex gradu inferiore, sed ex eo, qui gradum hierarchicum superiorem non habeat. Quia non ab alio forte excellentior se (ut anget) spiritus sed ab ipso Deo missi perhibetur. Propter hoc ergo positum est à Deo. Quam Bernardi rationem laudat noster Salmeron. capite 3. tract. 3. §. Neque vero obstat, subin. eaque sententiam suam Andree Hierosolimitani: ferm. de salut. Angel. Damasceni de dormit. Virginis, Cedreni in compendio historiar. Gregorij hom. 34. in Euang. ante med. & Bernardi proxime, Cardinalis Senogallia in Dehaecordo sententiam de primo ordine, & gradu hierarchico Gabrielis, quod, scilicet, ex Seraphico sit, confirmat: vti id ipsum multo eruditioris, & nationum pondere probauerit toto eo. §. & antecedente, §. dupliciter, med. ab illis verbis. Nunc illud inter agamus, probareque pergit, §. ex quibus verbis Danielis. Rationes huius conclusionis tetigit Dionys. ex connaturali Dei providentia in creaturæ administratione, ut, scilicet, per superiores eorumque interuentu in inferioribus agat, & cum eorum virtutibus intermediis, generali tamen eius concursui subiectis cooperetur. Aliam etiam tetigit de maiori capacitate, & perfectione intellectiva Angelorum ordinis hierarchici superioris, & maxima ordinis supremi necessaria, ut inferioris ordinis Angelos illuminatione doceant, siquidem ex rei natura Doctor, & magister melius, perfectiusque, quam discipulus intelligere debet, quæ docet. Tertia est, quia Angeli supremæ hierarchiæ, & chori Deo familiaris, coniunctius, quæ assunt, quasi cubicularij, & ut Hispanice dicamus, grandes de la camara de Dios: titulo autem familiarioris, coniunctioris Deo assistentiæ continuæ perpetuæ ex munere, & sui gradus hierarchici officio Deus, connaturaliter loquendo, mysteria, & secreta sua debet primum communicare, & per hos proxime gradu hierarchico coniunctis, & sic deinceps, quæ vnicuique secundum suum inferiorem, & distantiorem, & Dei voluntate, communicari expediat, ut disp. 2. quæ. certam. 1. à num. 5. diximus, & humanis exemplis monstrauimus; dixi connaturaliter. Potest enim absolute Deus per inferiores Angelos de secretis, & mysterijs suis superiores Angelos instruere, imo & per homines etiam, iuxta illud ad Ephes. 3. ut innotescat Principibus per Ecclesiam ut bene, Val. quæ, disp. 2. 17. num. 2. Soar. lib. 6. cap. 15. num. 18. & si hic instructionem hanc superiorum ab inferioribus Angelis, vel hominibus illuminationem vocari nolit, quod de propria, & stricta, & hierarchica, de qua hic verum habet, cum actus ille ex hierarchico illo gradu, & ministerio non proveniat, sed, de illuminatione absolute dicta, sub qua hierarchica continetur. Accedit titulus excellentiæ charitatis & amicitia supernaturalis, quæ supremæ hierarchiæ, & chori Angeli Angelis inferiorum graduum hierarchicorum excedunt: quo titulo plura, & immediatius secreta Dei reuelanda sunt: ut in humanis vfu venit, & insuper naturalibus, & diuinis seruari debere, atque à se seruatum Christus Dominus aiebat. Ioan. 15. vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiu à Patre meo, nunc feci vobis.

8. Sed ex his rationibus postremis difficultas suboritur, titulo enim cum maioris, & coniunctioris assistentiæ Deo, & excellentioris in ipsum amoris, chorus solus supremus hierarchiæ summæ, qui Seraphinorum est, videtur immediate à Deo secretorum, & mysteriorum Dei reuelationes, & illuminationes recepturus, ac

mm 2 in

in secundum Cherubimorum, connaturaliter loquendo, immediate transfusus ut ex Dionysio, & Patribus ac scholasticis omnibus docemus. Ex ratione autem secunda ab eodem Dionysio tacta, praestantior intellectus, & intelligentia eorum, quae aliis per illuminationem, & doctrinam tradenda sunt, necessaria in Magistro, quam in Discipulo edocendo; siquidem Cherubinos praestantioris Seraphinis intellectus, & intelligentiae veritatem esse certa apud Dionysium, Patres, & scholasticos sententia est, quam, & nos disputatione 2. quaestione 5. statuimus, atque à non leui difficultate peculiariter vindicamus: inde vero fieri videtur, ut quaecumque à Deo secreta, & mysteria reuelentur, melius, perfectiusque, connaturaliter loquendo, percipienda intelligenda, ac penetranda à Cherubinis, quam à Seraphinis necessario sint: ac proinde Cherubinis, ut perfectius perciperent aptiusque subinde, & alios docturis esse immediate à Deo reuelanda ut Seraphinos doceant, atque illuminent. Nec satis est plerumque in humanis Magistrum hebetioris, imperfectiorisque intellectus, & intelligentiae esse, discipulum vero ingenij acutioris, ac perfectioris intelligentiae veritatem, quas à Magistro edocetur: tum quia magisteria, & discipulatus, non ex natura rei, ut in Angelis diximus, sed ex accidenti apud homines contingunt: tum etiam, quia, si quid euasio praestaret, Dionysij rationem euerit. Nec magis praestat, si ex parte difficultati cedas, ac dicas, Cherubinos, ac Seraphinos aequè immediate à Deo, nec alios, per alios illuminari, ut expresse Athanasius recitatus, numero 7. initio pro quo non contemnenda ratio occurrit, quia propinquior assistentia, & strictior charitatis, & amicitiae supernaturalis cum Deo coniunctio Seraphinorum immediatam ab ipso illuminationem requirit, & si minus perfectae intelligentiae, quam Cherubini sint; qui etsi non sint à Deo, & assistentiae propinquitate, & amoris coniunctione Deo coniuncti, tamen perfectioris intelligentiae, atque ad magisterium, & illuminationem aliorum sunt aptiores: ut in vtriusque, quod vnus tituli excellentiae deficit praestantia tituli alterius compensetur. Non tamen praestat, quia Dionysij, reliquorum Patrum, & Theologorum (qui praestantiam eorum in vno, & defectum in alio apprimè norunt, & docuerunt) haecenus ex ipsis à nobis statutam sententiam euacuat: nempe à primo cuiusque hierarchiae choro inferiores, & nominatim à Seraphinis inferiores primae hierarchiae choros, ac subinde Cherubinos illuminari.

9. Respondeo tamen primo defectum minus perfecti intellectus Seraphinorum, quam Cherubimorum ex parte propositionis mysterij, & secreti reuelandi posse à Deo suppleri, ut perfectius his illud intelligant, percipiant, ac penetrant, ac eis illa immediate Deus reuelet, ut strictior cum ipso assistentia, & charitatis coniunctio reposcit, quod nullus inferior exigit hierarchicus gradus, atque horum proinde possint connaturaliter esse Doctores. Respondeo secundo, independentem ab eo supplemento diuino ex parte melioris, viuideriorisque propositionis mysterij reuelandi. Argumentum probare de perfectiore cognitione speculatiua veritatum pure etiam speculatiuarum, scus de practica, & practicarum, etiam veritatum cognitione, cuiusmodi sunt mysteria, & secreta Diuina, omnia, quae illuminationis huius materia sunt, esseque solummodo possunt, ut certamine secundo, ostendimus: sunt enim, quae ad arctiorem cum Deo coniunctionem affectiuam, cum Angelos, tum homines ducant, reddantque proinde diuinitates, constat autem, ex dictis citato loco, ex disputatione secunda, in Seraphinis perfectiorem practicae cognitionem esse ad amorem Dei, ar-

ctioremque cum ipso affectiuam coniunctionem, quam sit in Cherubinis perfectior speculatiua, & physice considerata cognitio: unde, & in ordine ad alios ad actionem effectiuam coniunctionem ducendos, inducendosque practice erit Seraphinorum cognitio quam Cherubimorum perfectior: tum ex Ciceroniano illo apophthegmate. *Arctior Orator, si iudicem velit accendere*, frequentissima experientia comprobato: tum quia, ad negotianda, quaecumque obsequia, grata, & iucunda, ei quem vehementer ardemus, ut Seraphini Deum, ingeniosior longe amor, quam intellectus est, valdeque indoluit alius de amato, eiusque rebus concipiendo, alique proponendo, ut eorum amorem ipsi, & estimationem conciliet, quam de eius intellectu possit praesumi, ac non amantes, quantumvis ingeniosi, concipere, ac proponere alii possent: ita ut, licet amor pars ingenij physice non sit, illud tamen ita circa amatum acuat, eiusque vires totas exerat, atque erga illum distendat, ac incernat acutum, ut acutissimis modis in eo praeualeat, ac prudenti estimatione totum amantis ingenium moraliter sit, id quod quisque ad denter amat experitur atque in Dei seruis, cum ardentem amantibus verbis, & operibus experimur, in Deo, eiusque perfectionibus penitus penetrandis, atque ad alios Deo lucrandos proponendis, utque ad stuporem supra naturalem mentis suae, & subtilioris aliorum caprum ingeniosos illos esse, ac indultiss.

10. Illud demum hic examini scholastico subesse potest. An scilicet Angeli, non solum Angelos beatos gradus hierarchici inferioris illuminent, sed & malos Dæmones damnatos: & illuminare illos etiam illuminatione hierarchica de qua loquimur posse, & de facto illuminare videntur. Siquidem plura Dei consilia & mysteria, ex Dei voluntate, & decreto posse Angelos Dæmonibus manifestare, extra controuersiam est, & de facto esse illis manifestum ex variis scripturae locis facile colligitur, Angelos autem omnes etiam infimae hierarchiae, superioris ordinis, cunctis Dæmonibus, ad Dei secreta, & mysteria cognoscenda, aptiores, et proinde posse eis illuminatores esse, certum inde est. Et si enim Dæmones plures nobilioris naturae, & perfectioris intellectus plenius Angelis sint, atque eorum non pauci Angelis primae hierarchiae summis, Seraphinis, scilicet, & Cherubinis speciei, & naturae praestantia, & nobilitate aequales; tamen statim perpetua damnationis, & inimicitiae Dei sunt ab ipso longe remotissimi; è Dei autem ciuilitate, cum assistentia, tum amicitiae ardore, & proximior ad mediatus, vel immediatus cognoscenda mysteria, & secreta diuina gradus proximiores Deo, ac superiores, vel remotiores, & inferiores Angelorum disponuntur: quare in ordine ad id à Deo infra omnes Angelos infimos etiam Dæmones sunt, ut nullum habeant gradum: ac proinde connaturalissime fiet, ut ab infimis etiam Angelis de Dei mysterijs, & secretis Dæmones instruantur, atque illuminentur; & si quandoque à Deo ipso (ut ex libro Iobi constat) super absoluto iure, & potestate ut eute fuerint instructi de aliquo, & illuminatio; ex quibus colligi videtur Dæmones illuminatione proprie hierarchica, de qua loquimur, ab Angelis illuminari.

11. Censeo tamen Dæmones ab Angelis illuminatione propria, & hierarchica (de qua agimus) nusquam illuminari de facto, nec de possibili, & in de mysterijs, & secretis Diuinis instrui ex Dei voluntate ab eis possint, & quandoque instruantur. Moueor primo, quia illuminatio vnus est Angelis ab alio, (de qua Dionysius, Patres, & Theologi omnes) actus hierarchicus est per Dionysium.

sum, & Patres recitatos, & Theologos omnes: at-
qui secreti diuini transmissio ab Angelo in dæmo-
nem actus hierarchicus non est; ergo nec propria, de
qua agimus, illuminatio. Minor probatur: quia actus
hierarchicus is solum est, qui prouenit ab Angelo ra-
tione sui gradus, & officii, seu ministerij proprii hier-
archici gradui illi hierarchico destinati; aut instru-
ctio, & reuelatio mysterij, aut secreti diuini dæmoni
ab Angelo facta, nequit prouenire ab aliquo officio,
& ministerio proprio, & destinato alicui gradui hier-
archico: ut patet ex officiis, & ministeriis propriis,
cuique choro, & gradui hierarchico, à Theologis; &
à Dionysio designatis; ergo nequit esse actus hierar-
chicus. Confirmatur ex ratione ipsa pro affirmatiua
parte data, quia, quod Angelis competit ex statu bea-
tifico omnibus communi, non autem ex gradu hier-
archico, cuique proprio, non competit eis, ex officio,
& ministerio aliquo hierarchico: sed superioritas
Angelorum respectu dæmonum, ut hos connatu-
raliter de secretis Dei instruant, ac proinde ipsa in-
structio, non conuenit alicui Angelo ex gradu suo
hierarchico, proprioque officio, & ministerio, sed ex
statu beatitudinis cunctis communi, ut ea ratione di-
cebat; ergo, nec superioritas, & potestas connatu-
ralis dæmones instruendi, neque ipsa instructio est
potestas, actusque hierarchicus Angelorum, ac proinde
nec propria hierarchica illuminatio, de qua agimus.
Probat secundum conclusio: quia illuminatio vnius
Angeli ab alio cum actiua, tum passiva, de qua hic,
tota intra ordinem hierarchici cum est, & continetur,
quin ad aliquam creaturam rationalem extra hierar-
chias, & gradus hierarchicos omnes posita exten-
datur; dæmones autem extra hierarchias, & gradus
hierarchicos omnes sunt positi; ergo eorum ab An-
gelis illuminatio propria, & hierarchica non est. Ma-
ior probatur: quia & si notissimum Dionysio, & Pa-
tribus, ac Theologis sit, ac fuerit, homines de pluri-
bus à suis custodiis infimæ hierarchiæ Angelis, in-
strui, tamen huius hierarchiæ, Angelis actiua illu-
minationem, non tribuerunt, ergo quia illuminatio-
nem, de qua hic, ad aliquem extra hierarchias earum-
que, atque gradus omnes non extendi censuerunt.

12. Vigetur: quia ea de causa, à Dionysio, Patri-
bus, & Theologis Angelos omnes, in hoc illumina-
tionis negotio tripartitis, scilicet in Angelos,
qui non illuminantur ab Angelis, alios illuminant, atque
in negotio illuminationis angelicæ actiue solum se
gerunt, & in Angelos, qui ab aliis illuminantur alios il-
luminant, ac proinde actiue, & passiuæ se in illumi-
natione habent, & in alios, qui illuminantur, non autem
illuminant, ac se passiuæ profus in illumina-
tione gerunt: quo non solum actiua illuminationem
Angelorum (de qua hic) infimæ hierarchiæ, &
chori, seu gradus hierarchici in dæmones, & homi-
nes omittunt, (ut argumentum hoc ab auctoritate,
negatiua solummodo esse censi possit, sed expresse
negant illuminationem actiua propriam ad ali-
quem, extra omnes hierarchias, earumque gradus,
& choros hierarchicos positum (vnde dæmones positi
sunt) in Angelis esse, darique vique posse. Tertio
principaliter probatur conclusio, ac probationes da-
te confirmantur: ex natura, & essentia ipsa illumina-
tionis de qua agimus definita à Dionysio de celesti
hierarchia, c. 1. dum hierarchiam, sic definit, est sacer or-
do, scientia, & actio, quæ ad diuinitatis similitudinem
(quod eius fieri potest, accedit & proportionem illustra-
tionum quæ ei diuinitas datæ sunt ad Dei intentionem
traducitur: ubi ab illis verbis, & actio, quæ, om-
nem actum hierarchicum ac subinde actum illumina-
tionis, de quo inferius agit, definitur. Ex eis autem
verbis sic arguo, à actio hierarchica illuminatiua, seu
propria illuminatio est, quia illam tunc recipiens, tum
agens ad Dei similitudinem accedit, ad eiusque in-
tentionem traducitur; atqui dæmon in statu damna-
tionis nulla instructione de mysterio, secretone ali-
quo Dei ab illo Angelo facta adducitur ad intentio-
nem, & voluntatem Dei, neque ad Dei similitudi-
nem accedit, neque accedere, adducere ad alteru-
trum potest. Secundo quidquid dæmonibus ex my-

sterijs, secretisque diuinis reuelatur, ipsis nusquam
proficuum, & practice perfectiuium est, nec alicui,
cui ipsi bonum velint, sed omnia ad eorum malum
pauam, inuidiam, & rabiem: vnde, & si in pura spe-
culatione sistendo intellectus eorum manifestatio-
ne, ac proinde dæmones ipsi perficerentur, eisque
bona, ea manifestatio foret, aut, cum ex ea, non, ni-
si pæna, dolor, ira, rabies, & inuidia eis accrescat illos
absolute perficere, bonumque, & perfectionem abso-
lute afferre non possunt: ut de fide supernaturali,
quam eis ad tremorem, & pænales alios affectus
Deus, ut diximus, concedit, fatendum est. Confirma-
tur: quia manifestatione, seu intimatione, sententiæ
vel mortis, vel ad tritremes reus dubio procul, de eo,
quod ignorabat instruitur, atque veritatem, quam ig-
norabat cognoscit, & ibi sistendo, eius intellectus
perficeretur, bonaque illi ea cognitio foret; aut, quia
doloris, tristitiæ, & cruciatus causa est, nec bona Reo,
nec perfectio absolute est; illuminatio autem omnis
etiam late, nedum stride, & proprie sumpta (de qua
hic) bona, & perfectio absolute illuminati esse debet,
quod si bona hominibus sint secreta diuina, quæ, ex
Dei voluntate dæmoni ab Angelo reuelantur, ut ea
hominibus manifestent: id quidem hominibus bonum,
dæmoni vero malum est; atqui quod proinde,
non, nisi inuiti faciunt, & coacti, cum homines pesti-
me oderint, eorumque saluti inuideant, ac de se se
eorum perditionem anxij procurent.

CERTAMEN II.

De illuminationis angelicæ materia & modo
quo ab Angelis fit.

1. Circa materiam illuminationis, seu veritates,
quas illuminatione propria, & hierarchica, po-
test Angelus superior inferiori manifestare, suppo-
nenda aliqua sunt. Primum notitia, seu visionis bea-
tificæ obiectum non esse illuminationis hierarchicæ,
de qua hic obiectum, seu materiam; quia Deus ipse
obiectum, sui visionem intuitiuam, cuique beatorum
pro meritorum mensura, & quantitate se ipso, nec villo
intermedio Angelo communicat, nec ultra eam men-
suram ulterius alicui Beatorum à Deo adhuc augebitur
augeri vique poterit. Secundo quia illuminatio
supremorum Angelorum primæ hierarchiæ, & chori
supponit Angelos beatos omnes, & cum visionem
ac per hierarchias, & choros dispositos; ergo Deus ipse,
non est obiectum, seu materia illuminationis hierar-
chicæ strictæ, & proprie; de qua hic, sed præsuppo-
sitæ intuitionis, & ante illuminationem hierarchi-
cam præuisum. Tertio, constat ex testimoniis Dio-
nyij, & Patrum recitatis ubi illuminationem, ex il-
lustrationibus, eius veritatis, quam ante illam (ne
summi quidem Angeli fiebant) à Deo in hos imme-
diate immisissimorum habere, atque initium sumere
docent: Deus autem ipse à nullo Angelorum, in vlla
hierarchia posito nesciebatur. Confirmatur: quia illu-
stratio de visione Dei beatifica, qua Deus, ut in se est
videtur, nusquam dicitur. Confirmatur secundo: quia
illuminatio est actus purgans, illuminans, & perfici-
ens illuminatum ut ex Dionysio retulimus, & ex-
plicauimus cert. 1. n. 6. purgans scilicet à nescientia:
illuminans tenebras, & obscuritatem intellectus An-
gelici circa obiectum illuminatione manifestatum:
perficiens illum eiusdem obiecti & veritatis cogni-
tione, quam causat, in illuminato, circa Deum autem
ipsum in nullo Angelo, infimo etiam postremæ hierar-
chicæ, nescientia, ac tenebræ sunt cum clare illum
pro naturæ prioris ad omnium in suas hierarchias, cho-
ros, gradusque hierarchicos, distinctionem, & dispo-
sitionem omnes Angeli videant: perfectio autem in
eo clare videndo absolute, seu quatenus ex parte ob-
iecti est, in nullo esse ob eandem rationem potest, ex
parte autem modi, seu intentionis videndi, illum ab
Angelo illuminante, nequit prouenire, sed ab specie
mm 3 impressa